



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola Cl. Gregorii Papae I. Ad Felicem. Conqueritur ab ecclesia suas
possessiones fuisse occupatas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

ostentare valeat qui latebat. Quod in vobis nunc ex desiderio vestro gestum esse superni respectus illustratione cognoscimus, qui schismaticorum inter quos habitatis pertinaciam refutantes, coadunari ouili dominico mente promptissima ipsa rei operatione monstratis. Quibus enim scissura displicet, sanos se velle esse testantur, & reprobantes errorem, ostenditis vos amare quod rectum est, vitare quod deuium. Hinc est quod nos & vestra dudum directa petitio, & latorum presentium, & responsaliū vestrorum salubria postulantium latificauit aduentus, per quos significastis vos & deuios reprobare gressus errantium, & rectum salutis iter quærere, per quod vnitati vos sanctæ ecclesiæ reformantes, ad retributionem bene operantium, qui intra eius sinum constituti sunt, debitam tenderetis. Vnde sic laudabilem vestræque in æternum animæ profuturam voluntatem vestram cum omni gaudio sumus libenter amplexi; hoc cum Domini auxilio disponentes, vt si quidem episcopus, quem vobis in vestra reformari petueratis ecclesia, a schismaticorum lapsu se segregans, ecclesiæ voluerit vnitati coniungi, fratri & coepiscopo nostro Mariniano euidenter scripsimus, qualiter petitionem vestram ex nostra auctoritate debeat confirmare. Sin vero, quod optandum nobis non est, ab illorum se noluerit schismate separare, idem, quomodo vestra ecclesia proprium habere valeat sacerdotem, prædicto fratri & coepiscopo nostro scripsimus; quatenus in vtroque & pia mentis vestræ deuotio sortiatur effectum, & grex dominicus contra insidiantis inimici iacula sit securus.

EPISTOLA CI.
GREGORII PAPÆ · I.

AD FELICEM.

Conqueritur ab ecclesia suas possessiones fuisse occupatas.

Gregorius Felici in Sicilia.

SVSCEPTIS magnitudinis vestræ epistolis contristati sumus, quod ab actoribus ecclesiæ Syracusanæ quasdam possessiones, quas vos tenuisse dicitis, occupatas irrationabiliter indicastis. Sed credimus quia hoc ad fra-

tris & coepiscopi nostri Ioannis notitiam non peruenit. Nam absolute poterat cognita veritate, si quid illicite factum est, emendare. Et ideo quia legali prouisione decretum est tam momenti quam proprietatis causam in vno eodemque iudicio debere cognosci, nec nos contra inauditam partem aliquid possumus definire, prædicto fratri nostro scripsimus, vt actores ecclesiæ suæ deputare debeat, qui vobiscum sine mora electorum possint subire iudicium; ne aut vos res vestras sine cognitione, sicut querelam facitis, amittere, aut pars altera videatur præiudicium sustinere. Gloria ergo vestra nullas ad eligendos iudices moras aut difficultates interferat, vel differat ad causam accedere: nam omnino de supradicti fratris & coepiscopi nostri moribus certi sumus, quia facere quidquid rationis ordo exegerit non recuset.

EPISTOLA CII.

GREGORII PAPÆ I.

AD IOANNEM EPISCOPVM SYRACVSANVM.

Quod cum Felice iudicium subeat.

Gregorius Ioanni episcopo Syracusano.

FELIX vir memorandus suis nobis epistolis questus est, fraternitatis vestræ actionarios possessiones quas tenuerat illicite & contra iuris ordinem peruasisse, petens ablata sibi restitui, & se cum eis, si tamen causam voluerint dicere, paratum esse in iudicio sine aliqua dilatione consistere. Quod si ita est, quia quid legalis ratio habeat non nescitis, oportet vt omni mora postposita actores vestræ ecclesiæ deputetis, vt cum eo debeant eligere cognitores, qui tam momenti quam principalis rei quæstiones cognoscere valeant & finire; ne si qualibet occasione dilatum fuerit, & ipse pati præiudicium, & partes ecclesiæ non habere iustitiam videantur. Ita ergo agite, vt sub omni celeritate iudicium eligatur. Nam nos sic causas ecclesiæ vestræ fieri volumus, vt nec dispendium contra æquitatem sustineat, nec ad vestram possit aliquid inuidiam
* pertinere.

* al. sustinere.

EPI-